



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

Inquibus obediendu[m] c. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

superiorum, qua mandatū est. Tenemur autem obedire primum DEO, deinde Superioribus.

In quibus obediendum.

Cap. 15.

DEo in omnibus, & semper obediendū, superioribus autē hominibus nō sic: nā nō tenetur quis obedire superiori suo in actibus purē interioribus intellectus, & voluntatis, ut docet S. Thom. 2. 2 q 104. ar 5. Dicenti enim superiori sustine hanc opinionem, vel crede hoc dictum, si dubium sit, subditus non tenetur ei parere, quia in his anima Deo soli subditur, pertineret tamen id ad perfectionem obedientiæ, si inferior etiam in illis obediret, & tenetur in illis obedire, quando sine illis nō potest consistere actus externus qui præcipitur. Deinde nemo debet obedire superiori in

iis quæ ad statum proprium pertinent, vt si pater præcipiat filia, vt nubat aut continentiam seruet non tenetur obedire. Item nemo, debet obedire inferiori contra superioris præceptum præcipienti: duobus enim inæqualibus superioribus opposita præcipientibus, maiori parendum est, vt Papæ potius quam Episcopo, & Abbati prius, quàm Priori: nulli verò malum præcipienti: quando tamen res est dubia superiori parendum est, sed nemo tenetur illi obtemperare in iis, in quibus superioritatem non habet: vnde si Papa cuiuspiam vineam quam habet alteri vendere, vel donare præcipiat, nõ tenetur ei obedire: sicut nec voluntati occultæ cuiusvis superioris, etiam si subdito fuerit nota; esset tamen hoc perfectionis. Vnicuique igitur superiori obediendum ex obligatione in quibus est superior, & duobus æqualibus

superioribus diuersa præcipientibus parendum est illi qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem, inquit Sylu.

De obedientia Religiosorum respectu Prælatorum. Cap. 16.

Nullus Religiosus tenetur obedire suo Prælato in his, quæ pertinet ad maiorem perfectionem, quam sua Religio dicet S. Thom 2. dist. 44. q. 2. a. 3. ubi addidit in tribus obediendum Prælato. *Primo in iis, quæ in Regula continentur. *Secundo. In iis sine quibus in Regula contēta impleri nequeunt. Tertio. In pænis inflētis propter culpas, contra duo priora cōmissas. In iis autem quæ sunt cōtra Regulam, & præter Regulæ intentionē, vt frangere ieiunium regulare, nō tenetur monachus obedire quāuis prælatus possit in eo dispensare, quod in